Canones.

1. Fortitudo sumitur dupliciter, Strictè vel latè.
2. Strictè pro ea duntaxat virtute, quae versatur circa res bellicas. Latè verò pro quavis moderatione et mediocritate circa metus et fiducias.
3. Vir fortis est qui pericula adit et suscipit, sed pericula tribus requisitis praedita 1. Ut sint honesta 2. Ut ex iis possit laudem reportare 3. Ut sint in publicum utilia.
4. Vir fortis adit pericula certo consilio et ratione i. e. prudenter, apud eas personas, apud quas oportet; item eo loco et tempore, quo oportet; idque facit firmo ac constanti proposito non desultoria levitate.
5. Vir fortis nullius lucri aut quaestus gratia adit pericula nempe primario et principaliter, sed potius honestatis ergò atque id circo non nisi in bona causa.
6. Vir fortis est tamen omnia agit honestatis et pietatis ergò, sed et honestis et licitis mediis.